

possibile ab omni actu se suspendere, et sine ullo vitali motu manere, ut latius 1-2, quæstione sexta dicitur.

VIII. Ad secundum dicitur, quod in omissione, quæ est peccatum mortale, datur conversio, et aversio a fine, distinguo; taliter quod conversio ad finem non sit ex meritis ipsius omissionis, ut pura ommissio est, concedo; taliter quod sit ex aliquo adjuncto quod non per omissionem, sed per commissionem, seu positivum actum appetatur, transeat. Nec ipsa ommissio, ut diximus, potest habere rationem finis secundum se, nisi induat aliquam rationem quæ positive appetatur, ut propter contemptum, vel odium Dei, propter commoditatem propriam, vel ad experiendam libertatem, aut aliquid simile, quod prius appetitur ut finis, et appetitur non omittendo, sed positive volendo. Et cum instatur quod potest esse volita ommissio ex alio fine, qui non habeat aliam malitiam, quam omissionis, respondetur quod non, disputando modo an in illo actu, qui est causa omissionis etiam detur propria, et intrinseca ratio peccati, licet cum ordine ad omissionem, sicut ille ludus, v. g. propter quem volo omittere sacrum, etiam in genere ludi fiat superfluum, et malus commissive, hoc inquam omisso, est specialis ratio in Angelo, qui ex eo quod non potest incipere deordinationem suam, et actum voluntatis, nisi a fine, in quo, et sub quo deordinationem omnem exercet; ideo oportet quod si ipsam omissionem non accipit, ut finem in se (quia est privatio, et carens bonitate) præsupponat volitum finem distinctum ab omissione, in quo ipsa ommissio ut medium, vel quid contentum sub fine volita sit, et talis finis malus est, et non recte volitus antecedenter ad omissionem, quia ille finis ul-

timus sub quo deordinate est volita ommissio præcepti, non potest esse bonus, nec Deus ipse, quia ad illum non est referibilis: est ergo aliquid malum, et aversum a Deo. Non ergo incipit peccatum Angeli ab omissione.

## SPECIES PECCATI ANGELI.

IX. Circa speciem peccati Angeli unum est fere certum apud auctores, scilicet primum peccatum de facto peccatum superbiæ fuisse. Aliud vero controversum, an motivum peccandi in Angelis potuerit aliunde incipere quam ex motivo superbiæ. Et circa primum dico esse fere certum: nam aliqui aliud conati sunt assignare pro peccato Angeli, aliqui luxuriam, aliqui invidiam. Qui luxuriam assignarent non defuerunt inter antiquos patres, qui etiam carnalem luxuriam Angelis tribuerunt, sic explicantes illud Genes. vi: *Videntes filii Dei filias hominum, etc.* de quo videri potest Tertullianus libro de idololatria, c. ix; Lactantius libro ii institut. c. xiv et alii. Fortasse antiquiores hi doctores existimarunt Angelos corpora habere, licet subtiliora nostris, de quo egimus supra disp. xix, art. i. In præsentem solum adverte hos patres qui sic interpretati sunt locum illum Geneseos, Angelosque in commixtionem carnalem cum filiabus hominum cecidisse existimarunt, nequaquam loqui de peccato primo diaboli, quando de cælo exturbatus est: nec enim ignorare potuerunt illi patres, quod illo tempore quo Scriptura narrat filios Dei appetisse filiarum hominum concubitum, jam diabolus peccaverat, cum illud factum Scriptura configisse narret post multiplicatum genus humanum; diabolum vero jam peccasse, et a cælo fuisse exclusum cum ex

ejus tentatione, et suasionem primi nostri parentes peccarunt, ignorare nullus potest. Quapropter peccatum hoc primum Angeli carnalis luxuriæ fuisse, nemo quod sciam potuit sentire. Quomodo vero locus ille Genes de filiis Dei, et filiabus hominum intelligendus sit, diximus citata disputatione, decima nona.

Aliter ergo luxuriam Angelis attribuit Scotus in ii, dist. vi, q. ii, nempe non carnalem, et propriam, sed spiritualem, qua per nimium amorem, et delectationem de proprio decore, et felicitate, quasi luxuriante venustate propria delectati sunt, quod superbiam impropiam esse putat, propriam vero cupiditatem, et luxuriam spiritualem circa suum decorem.

Invidiam fuisse peccatum Angelorum docuerunt non pauci, licet non ita clare explicent fuisse primum peccatum Angeli; quod enim ex primo peccato superbiæ fuerit peccatum invidiæ secutum, negari non potest, nec D. Thomas negat. Et Scriptura aperte testatur, quod: *Invidia diaboli mors intravit in mundum.* Aliqui autem hoc peccatum invidiæ explicant fuisse invidiam erga homines, ut deducitur ex S. Cypriano opusculo de zelo et livore; Tertulliano de patientia c. v; Basilio in sermone de invidia; Irenæo lib. iv, c. lxxviii. Alii fuisse invidiam erga ipsum Dominum Christum, cui dignitatem unionis hypostaticæ inviderunt, sibi que immoderate appetierunt, quod deduci videtur ex S. Bernardo hom. xvii in Cantica, Ruperto, et aliis, quorum sententiam quantum ad appetitum unionis hypostaticæ sequitur Granados tract. xiii, disp. ii, sect. iv et probabilem reputat Suarez libro vii, cap. xiii et pluribus confirmat.

X. Cæterum communis sententia attribuit Angelis peccatum super-

biæ, ita quod illud fuerit primum, et initium cæterorum. Ita sentiunt communiter theologi cum magistro in ii, distinct. vi et D. Thomas hic q. lxiii, art. ii, ubi videri possunt interpretes. Videantur ibi Cajetanus, Bagnez, Zumel, Nazarius, Carmelitani Salmanticenses tract. vi de Angelis, disp. x, dub. i; Vasquez disp. cxxxii, cap. iii; Suarez lib. vii de Angelis, c. viii et seqq. Granados ubi supra sect. ii, n. iv, qui etiam oppositam sententiam temerariam vocat. Constat autem hoc ex Scriptura, et patribus: ut enim supra notavimus, Scriptura ponit superbiam pro initio omnis peccati, Ecclesiast. x, et Tobie iv ipsum etiam peccatum Angeli, qui primus inter intellectuales creaturas peccavit, si quidem ex ejus suasionem peccavit primus homo, superbiam fuisse significat, tum in illo loco ii ad Tim. iii: *Ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli;* tum in aliis locis ubi secundum communem expositionem sermo est de diabolo, licet sub figura aliorum principum, aperte ejus peccatum dicitur superbia, ut Ezech. xxviii: *Elevatum est cor tuum in decore tuo;* Isaie xiv: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Unde S. Ambrosius epist. lxxxiv inquit, quod: « Sive in lapsu diaboli, sive in prævaricatione hominis, initium peccati superbia est, » et Augustinus xii de civitate, cap. vi: « Initium, inquit, omnis peccati superbia. Hic primus defectus, et prima inopia, primumque vitium ejus naturæ, quæ ita creata erat, ut non summa esset. » Videntur est Basilius in capite secundo Isaie, ad illa verba: *Dies Domini super omnem contumeliosum, et superbum;* Gregorius lib. xvii mora-

lium, cap. XIII et lib. XXIII, cap. IV; Hieronymus lib. II adversus Jovinianum, cap. III; Cyrillus lib. VI in Joannem, cap. VI; Prosper in dimidio temporis cap. I et II et in libro de vita contemplativa cap. III; Bernardus serm. IV de ascensione, et alii plures. Quæ omnia sufficienter probant de facto accidisse in Angelis peccatum superbiæ.

Quod vero fuerit superbia proprie dicta, non luxuria illa spiritualis, quam Scotus ponit, manifeste deducitur, tum ex ipsa proprietate locutionis Scripturæ, et sanctorum; nec enim dicendum est tam frequentes locutiones, improprias esse sine fundamento valde urgenti, quod in præsentia non apparet. Tum quia illa delectatio quam ponit Scotus circa propriam pulchritudinem, et amorem, vel fuit delectatio de propria excellentia cum subjectione ad Deum, vel sine illa. Si cum subjectione ad Deum non fuit peccatum, etiamsi fuerit vehemens, et intensa, quia delectatio de pulchritudine, et de bono quod in se bonum est, dummodo non sit contra præceptum Dei, et cum deordinatione a fine non est peccatum, cum delectatio sit consequens amorem de bono præsentia, sicut qui delectatur de pulchritudine uxoris, aut de proprio decore, et sapientia referendo ista omnia ad Deum, non peccat. Si autem delectatus est Angelus de sua pulchritudine, sine subjectione ad Deum, hæc fuit propria superbia, quia appetitus superbiæ proprie sumptus est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ sine subjectione ad superiorem, ut docent theologi cum S. Thoma 2-2, quæstione CLXII. Complacere autem, et delectari de hac ipsa excellentia, de honore, de divitiis, etc. non facit speciale peccatum luxuriæ, quia delectatio, seu voluptas de eo, in quo peccatur, est valde generalis conditio pro omni-

bus peccatis. Omnia enim peccata fiunt cum quadam expletione propriæ voluntatis, quæ voluptas quædam est, et delectatio. Tunc autem est luxuria determinate, quando est in materia intemperantiæ circa sensibilia bona, præsertim venerea in quibus animus diffluit: in reliquis peccatis delectatio est, sed non luxuria. Et sic inordinatus amor propriæ excellentiæ in Angelo fuit in toto rigore vera superbia, nec transtulit ad speciem luxuriæ delectatio huic amori annexa, quæ generalis conditio est in peccatis.

XI. Circa secundum vero, quod diximus controversum esse in hac parte, nempe an fuerit aliud motivum quo posset Angelus peccare in primo peccato quam motivum superbiæ, sententia D. Thomæ est non fuisse aliud motivum quam superbiæ. Ita sumitur ex his quæ tradit in hac quæstione LXIII, art. II et in II, dist. V, q. I, art. III, et agendo de peccato primi hominis in III, dist. XXII, q. I, art. I ad IV et 2-2, q. CLXIII, art. I ad I et III. Viderique potest Cajetanus in præsentia quæstione LXIII, art. II et ibi communiter Thomistæ. Refragatur vero huic sententiæ Vasquez in commentario hujus articuli secundi et Arrubal hic disp. CLXXVIII, c. I, qui plura alia peccata assignant, quæ Angelo convenire possunt, sicut est peccatum omissionis frangendo præcepta affirmativa, peccatum odii, aut desperationis, aut inobedientiæ, quia hæc peccata non solum versantur circa materiam sensibilem, sed etiam circa spiritualement, et sic non repugnant Angelo. Item erga homines non repugnant quod Angeli committant peccatum injustitiæ occidendo illos, aut male tractando, vel res suas; aut etiam peccatum invidiæ eorum excellentiæ invidendo. Peccatum etiam iracundiæ non repugnat Angelo, quia non est de ratione iræ

quod sit passio appetitus sensitivi, sed solum quod sit appetitus vindictæ, ut supra q. XX, art. I, dixit S. Thomas. Non ergo talis ira sine passione repugnabit Angelo. Quod si ista peccata Angelo non repugnant: ergo neque eorum motiva, et consequenter neque repugnabit ab illis incipere, quia libertatem habet Angelus incipiendi peccare a quacunque materia, seu objecto, nec habet aliquam necessitatem incipiendi a superbia.

XII. Nihilominus sententia D. Thomæ vera est, et tenenda, sed prius explicanda. Et ejus explicatio consistit in duobus.

Primum, quod loquitur S. Thomas de Angelo juxta suum connaturalem modum, et sicut de facto creatus est plenus sapientia, et perfectus decore, ut dicitur Ezechiel XXVIII. Unde sequitur quod non poterat peccare in appetendo, seu desiderando illicite modo aliquid, quod sibi deesset ex bonis spiritualibus, quia plenus erat omnibus his quæ sibi debebantur; et sic ex parte boni spiritualis quod desiderare poterat solum poterat peccare desiderando aliquid ultra propriam mensuram, et ultra id quod sibi debebatur, et quo erat plenus, quod pertinet ad inordinatum motum propriæ excellentiæ.

Secundum est, quod D. Thomas non negat plura alia peccata præter superbiam posse esse in Angelo, sed loquitur de primo peccato, quantum ad motivum, et objectum cui afficitur Angelus: hoc enim docet non esse aliud quam motivum inordinatæ excellentiæ, licet posito illo motivo, et peccato possit etiam ad alia declinare, eaque committere. Unde in II, dist. XXII supra citata inquit D. Thomas quod: « Aliorum peccatorum occasio defectus aliquis esse solet, sola vero superbia est quæ fundamentum ex perfectione

sumit. » Ubi s. doctor manifeste indicat se loqui de motivo, seu fundamento ad peccandum in natura perfecta, qualis est angelica, quæ non movetur ad peccatum per defectum, sed per excessum, et ratione alicujus perfectionis, et excellentiæ indubitæ, et excessivæ.

XIII. Ratio autem hujus sumitur, tum ex ipsa natura, et modo connaturali operandi Angeli, tum ex solutione oppositi fundamenti, ostendendo, quod licet alia peccata non repugnent Angelo, repugnant tamen esse primum motivum ad peccandum. Ex ipsa natura, et connaturali modo procedendi in Angelo sumitur ratio ex jam supra insinuatis, quia Angelus non potest peccare, nisi incipiendo volitionem ab aliquo fine, sicut incipit cognitionem suam a principiis. Finis autem debet esse aliquod bonum, cui Angelus afficitur: finis enim est id quod appetitur ratione sui, et ejus gratia appetuntur alia. Non potest autem Angelus per se primo affici ad bonum sensibile tamquam ad finem, quia non est sibi proportionatum, neque conveniens; finis autem appetitur ut conveniens, et bonum ipsi appetenti: debuit ergo esse bonum aliquod spirituale circa quod tamquam finem operetur Angelus. Rursus bonum spirituale secundum se conforme est rationi, nec illi contrariatur, sicut in nobis bonum sensibile quandoque rationi non subicitur, spirituale autem bonum de se rationi est conforme, et conveniens, quia spirituale est: solum potest reddi malum secundum quod excedit mensuram a Deo constitutam; et sic appetitur inordinate, seu ultra debitum ordinem. Et cum Angelus productus sit perfectus, et plenus omni perfectione sibi debita, non poterat inordinate appetere acquisitionem earum perfectionum spiritualium, quæ sibi debentur, v. g. scientiæ,

et cognitionis circa quam vitio curiositatis laboraret. Solum ergo potuit appetere aliquem modum excellentiæ inordinatum, v. g. circa potentiam, et honorem, aut superiorem scientiam appetendo id quod sibi non debebatur, aut non eo modo quo debebatur, v. g. cum aliqua singularitate peculiari, aut cum independentia ab alio, vel cum aliquo genere non subjectionis contra ordinationem Dei, quod totum pertinet ad superbiam, quæ est appetitus inordinatæ excellentiæ, seu perfectionis. Ab illo ergo debuit incipere motivum peccati in Angelo, si quidem incæpit ab aliquo affectu circa spirituale bonum, seu excellentiam aliquam, quæ inordinate appetitur.

Quare non negamus, multa alia peccata posse esse in Angelo, quæ spiritualia sunt, sed negamus posse modo connaturali præbere Angelo primum motivum peccandi, quia ex aliis peccatis multa sunt, quæ præsupponat alia peccata præcessisse, vel saltem motivum aliquod peccaminosum; superbia vero est aptissimum, et congruentissimum medium, ut sit primum motivum peccandi in Angelo; quia semper primum motivum peccandi in Angelo debet esse ex aliquo fine, et bono cui afficiatur, et hoc non potest esse aliquid corporale, quia non est proportionatum naturæ spirituali, et perfectæ, sicut est Angelus, ut afficiatur illi tamquam proprio bono: excellentia autem propria immoderate, et ultra debitam mensuram volita, est potissimum attractivum, et allectivum naturæ ita perfectæ, et spiritualis, sicut est angelica. Illud ergo erit primum motivum, et illud est motivum superbiæ.

XIV. Ex quo secunda ratio deducitur, quæ est etiam solutio fundamenti oppositi, nempe discurrendo circa alia peccata, et ostendendo

quod connaturali modo loquendo non præbent de se primum motivum peccandi. Nam in primis peccatum omissionis per se, et ratione sui non præbet primum motivum peccandi, quia de se est negatio, seu privatio, et ut appetatur debet vestiri aliquo bono apparenti, et aliquo fine, ratione cuius non recusat quis fractionem præcepti: ergo ipsa ommissio non est primum motivum peccandi, seu primum cui affici potest Angelus tamquam fini. Item odium Dei, et desperatio non potest convenire Angelo, nisi præsupposito aliquo priori peccato, ratione cuius reddatur dissonum ejus dictamini id quod habetur odio, vel a quo desperatur, ut S. Thomas advertit loco supra citato ex II, dist. V, qu. I, art. III, non enim aliquid habetur odio, nec desperatur ab illo, nisi quia consideratur seu judicatur ut dissonum, et disconveniens sibi: et sic odio habetur. Et hoc ideo est, quia odium, et desperatio pertinent ad quamdam fugam voluntatis, quatenus aliquid apprehenditur ut disconveniens vel nocivum; et sic non amatur, sed abominatione, vel inimicitia prosequitur, aut judicatur ut impossibile adipisci; et sic non prosequitur illud spes, sed ab illo dejicitur, vel fugitur, et hoc est desperatio. Unde repugnat quod Angelus inde incipiat peccati sui motivum, tum quia odium, et desperatio pertinent ad fugam, non ad affectum, et prosecutionem, primum autem motivum in Angelo est ex affectu circa aliquem finem, seu bonum quod sibi conveniens apprehendit: finis enim ut finis amatur, non fugitur, et Angelus in amore finis tangit ea quæ se habent ad finem, non seorsum; non ergo primum motivum, et affectus finis est in fuga; tum quia ut Deus habeatur odio, vel desperetur, debet apprehendi ut disconveniens. Non autem

apprehenditur Deus ut disconveniens nisi corrupto jam iudicio, et talem supponendo aversionem ab ipso ex aliis effectibus vel affectibus, ut inde formetur iudicium, quo etiam Deus ipse ut nocivus, et disconveniens apprehenditur. Quod vero prima apprehensio a Deo, præsertim in natura perfecta, et perfecte intelligente, sicut est Angelus sit apprehensio Dei ut disconvenientis, omnino videtur contra modum ejus connaturalem. Unde Thomas 2-2, qu. XXXIV, art. V docet ideo odium non esse vitium capitale, quia non est primum in destructione virtutum, sed ultimum; et sic potius est peccatum finale quam capitale, seu initiale, supponens tantam corruptionem in subjecto, quod potest ab eo summum bonum apprehendi ut disconveniens subjecto: hoc autem sine magna corruptione fieri non potest, et supponendo in subjecto præcedere alia peccata, ex quorum suppositione, et affectu Deus concipitur ut disconveniens, quia concipitur ut contrarius subjecto. Non concipitur autem ut contrarius ipsi naturæ, aut perfectioni ejus, cum sit primum ejus principium, et auctor totius esse, sed solum concipi potest ut contrarius, vel in quantum infert mala pœnæ, et hæc jam supponunt culpam, vel quatenus prohibet ipsa mala culpæ; et sic ex affectu ad illa mala, quæ prohibet, Deus ut contrarius, et dissonus concipitur, odioque habetur. Sed hoc jam supponit alia mala culpæ. Et sic odium nunquam est peccatum capitale, et primum, quod versatur erga affectum ad finem, sed est peccatum finale, seu ultimum supponens alia peccata, ex quibus movetur quis ad apprehendendum Deum ut dissonum, et contrarium sibi, quia vel prohibet, vel punit illa peccata quibus quis afficitur.

XV. Ad ea quæ objiciuntur pro

peccatis quæ versantur circa homines. Quod attinet ad peccata injustitiæ, dicimus dupliciter eam committi. Primo, ex eo quod aliquis vult accipere aliena in commodum proprium, et tunc injustitia nascitur ex inordinato amore, et concupiscentia sui. Secundo, ex eo quod aliquis vult eam incommodum seu nocuum alterius, et inde movetur ad faciendum ei injuriam contra justitiam. Primo modo non potest Angelus velle injustitiam, seu injuriam facere homini, imo nec alteri Angelo, quia non potest ipse ex injuriis hominum sive ex acceptione suarum rerum, vel jurium, aut ex quibuscumque ipsius bonis fieri ditior, et commodior: quid enim commoditatis sibi provenire potest ex bonis sensibilibus hominis, cum ipse Angelus spiritualis sit? Ex bonis autem ejus spiritualibus nihil potest surripere, aut injustitiam committere circa illa, quia non possunt homine invito perdi, nec etiam eo volente possunt Angelo accrescere, et propria ipsius fieri. Et idem est respectu aliorum Angelorum in bonis spiritualibus eorum. Secundo vero modo potest quidem Angelus nocere homini, et injustitiam in illum committere, et fortasse etiam in Angelum, v. g. ipsum ultra modum affligendo, et vexando; sed tale peccatum supponit odium, et malevolentiam, ergo homines contra quos movetur, si quidem ex appetitu nocendi facit injuriam, et hoc iterum est peccatum fugæ, et abominationis; et sic dimanat ex volitione priori alicujus finis, non ergo primum peccatum est injustitia. De invidia etiam dicimus cum D. Thoma in hac quæstione LXIII, art. II, citato loco ex secundo, dist. V, quod invidia est dolor alienæ prosperitatis in quantum est impeditiva alicujus boni proprii. Nulla autem felicitas neque Dei, neque alterius hominis,